





DISPUTATIO JURIDICA
De
EXPROMISSIONE,

265

5

Quam
ASPIRANTE DIVINO NUMINE
P R Æ S I D E

Nobilissimo, Clarissimo, nec non Consultissimo
V I R O

DN. GERHARDO Von MASTRICHT,
J. U. D. ejus, & Historiarum in Almá Electorali,
quæ est Teutoburgi ad Rhenum, Universi-
tate, Professore Ordinario,

*Publico Eruditorum examini defenden-
dam subjicit*

ANTHONIUS Ther SCHMYZEN
Clivo-Vesaliensis, Auct: & Resp:

Ad diem 7 Julij, horis locoque solitis.



DUISBURGI ad RHENUM,
Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.
Anno M. DC. LXXXI.

Viro, Nobilissimo, Consultissimo

**DN. GERHARDO
VON MASTRICH, JC.**

**ANTECESSORI ET HISTORIARUM
IN ALMA ELECTORALI, QUÆ DUISBUR-
GI CLIVORUM FLORET, PROFESSO-
RI, SUO PRÆCEPTORI ET CO-
GNATO SUSPICIENDO,**

Hunc primum studii sui foetum

Consecrat

**ANTONIUS ther Schmitten /
Auct: & Resp:**



DISPUTATIO JURIDICA,
De
EXPROMISSIONE.

PROLOGIUM.



DU multumquè per hos dies cogitanti quod potissimum ex vasto juris corpore caput disquisitioni publicæ subjicerem, placuit tandem auctoritate Clariss: Præsidis expromissionem, inter modos quibus ipso jure tollitur obligatio, non postremam, seligere, eamque quantum tempus & ingenium sinunt, neglecta nimia accuratatione, eruditorum censuræ exponere, Lectorem interim politum, ad tractationem Cl: Præsidis super hac materia, quæ brevi lucem adspiciet, remittens. Quæ ratio est, quæ & satis superque Lectori candido patebit quod non tantum modos, quibus obligationes constituuntur, antequam ad earum dissolutionem dilaberer, neglexerim. Sed quod nec eos quibus vel ipso jure vel exceptionis ope obligationum vincula solvuntur operosa recensio enarraverim: Sed jam missis his, operi me accingo, ubi novationis (cujus expromissio species est) definitionem & divisionem brevibus præmittam.

A 2

THES: I.



T H E S I S I.

Est novatio, quæ à nova dicta est, prioris debiti in aliam obligationem seu civilem seu naturalem transfusio atque translatio, l. 1. ff. de nov. & deleg. Prioris debiti, quia novatio non fit, nisi debitum aliquod præcedat, quod novari possit, nec interest, qualis obligatio præcedat, naturalis, civilis, an honoraria. In aliam obligationem, quia novatio non solum pristinam obligationem tollit, sed & novam constituit, l. 20. ff. de novat. quod expressè oportet esse actum, aliàs duæ erunt stipulationes, §. 3. I. q. m. toll. obl. l. 2. ff. de novat. Nec ex urgentibus conjecturis & præsumptionibus novationem esse initam colligitur, l. ult. C. d. t. Gœdd. de contr. stipul. c. 5. conclus. 9. n. 103. Struv: Exerc. XLVII. th. 57. Civilem seu naturalem, quia ad hoc ut prior obligatio perimatur, sufficit quod sequens obligatio aut civiliter teneat aut naturaliter, ut puta si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit l. 1. §. 1. h. conf. Struv. Exerc. VI. th. 39. in fin. sufficit enim quod creditor illo fuerit contentus d. §. 3. l. q. m. t. obl. Et sibi imputet creditor, quod minus idoneam personam acceperit, cujus conditionem ignorare non debuit. l. 19. ff. de R. J.

II.

Definitionem novationis excipit divisio, quæ est vel necessaria vel voluntaria; necessaria est, quæ fit per litis contestationem, quam insequitur sententia, quâ reus etiam invitus condemnatur. l. 11. §. 1. l. 29. h. l. 1. C. de jud. Quæ tamen minus propriè novatio est. Voluntaria, quæ fit per stipulationem, uti habetur in l. 1. §. 1. l. 2. l. 5. 6. 7. l. 11. & possess. ff. eod. l. 1. l. 3. l. 7. l. ult. Cod. eod. Hæc iterum subdividi potest in novationem in specie sic dictam & delegationem. Illa est, cum per stipulationem prior obligatio, manente eodem creditore & debitore mutatur §. 3. vers. sed si ead. Inst. quib. mod. toll. obligat. l. 11. l. 2. h. l. fin. C. eod. Hodie etiam simplicibus pactis novationes fieri, & quidem frequentius, quàm per stipulationem, utpote cujus solennitas penè exolevit post DD. in l. singularia 15. de rebus cred. tradunt Wesenb: Struv: & præter alios Gudelin: lib. 3. de jur. nov. c. 12. Hæc nempe delegatio est, quæ fit inter:

interventu novæ personæ, aliàs expromissio, de qua ex professo agam. Antequam autem rem ipsam definiendo aggrediar, non inconcinnè me facturum arbitror si prius Homonymiam atque Synonymiam vocis expromissionis exposuero.

III.

§. 1. Sumitur enim expromissio, 1. *Generaliter* pro delegatione quacunque debiti, quæ propriè dicitur cessio, *übergab / cession / transport*, & *Specialiter* pro illa novatione qua alius debitor substituitur *l. 11. h. Germ: anweisung / vid. Giph. in Cod. ad l. 3. h. t.*

§. 2. Sufficiant hæc de Homonymia: Transeo itaque ad Synonymiam. Expromissor 1. vocatur vindex hoc est liberator qui interveniendo à manus injectione & nexu liberabat reum creditori addictum *Gell. lib. 16. Noct. Attic. cap. 10. Goed. in l. 234. §. 1. de verb. sign.* 2. Expromissor dicitur simplex promissor *l. in eo quod plus. §. 1. de R. F. Item 3. Sponsor. l. 7. §. 12. quod ferè de pact. l. Sponsio 7. de verb. sign. l. 5. §. stipulatio. ff. de Verb. Obl. Goedd. ad l. 7. de verb. sign.* 4. Nonnunquam improprie quasi fidejussor *l. 30. in persona. §. 1. ff. de pact. quemadmodum in Senatus Consulto Vellejano fidejussionis verbo expromissio continetur; Nam alienam obligationem sive alienum debitum suscipere & condemnationem subire, item eam obligationem, quæ in alterius persona constitit in se transferre paria sunt, l. 2. §. ult. ff. ad SC. Vell. l. 4. Cod. eodem. l. ult. ff. quod cum eo. Cujac. lib. 13. obs. cap. 35. Hering. de fidej. c. 4. n. 36. & seqq. Quinto autem frequentissimè in jure nostro reus. l. 7. §. 8. de dolo malo. l. 64. §. 4. l. 9. §. 3. vers. sive vero dato. ff. de pign. act. l. 1. §. exceptionem. ff. quar. rer. act. datur. l. profectitia. §. sed se pater. ff. de jur. dot. L. Ful. §. 23. ff. de act. empt. Nos 6. in vernacula lingua nominare eum solemque einen freywilligen selbst schuldigern. *Const. prov. Elect. August. 8. part. 2.**

IV.

Quærenti nunc quid sit expromissio. *sz.* Quòd sit susceptio alterius debiti per promissionem; *d. §. 3. Instit. quib. mod. toll. obligat.* veluti si Titius novationis causa promittat Sempronio, quod ei Sejus debet; sive id sua Sponte Titius faciat & vel ignorante vel nolente debitore *l. 8. in fin. de nov. sive debitoris mandatu. De legare est*

est vice sua alium creditori debitorem dare *l. 11. eod.* quæ delegatio inter delegantem & delegatum nudo consensu fit, *l. delegare 17. eod.* sed non perficitur i. e. novatio debiti non fit, nisi stipulanti creditori is, qui delegatus est, promiserit *l. 1. C. eod. Gail. 2. obs. 30. n. 8. Christin. vol. 4. decis. 180. n. 4. & 5. Tulden. comm. hic. c. 8.*

V.

Definitionem sequitur divisio expromissionis, quæ vulgo fieri solet in illam, quæ fit mediante stipulatione & eam quæ fit per litis contestationem, quæ etiam improprie expromissio est; illa est, si quod Sejus tibi debet, stipularis à Titio: quo casu obligatio in persona Seji perimitur & in Titii personam transfunditur *d. §. 3. Inst. & l. 1. pr. de nov.* Hæc fit per lit: contestationem, & est, quando creditor debitorem in judicio convenit, & tertius quis pro eo comparet in se suscipiens omne judicium, & in se omnes obligationes transferens, nec non creditori solvere de suo promittens, si condemnetur, certe primus debitor liberatur & nova obligatio inducitur in personam hujus susipientis in se judicium, & transferentis in se obligationem, *l. 23. de solut. Sebast: Med. tr. de novat. c. 7.*

VI.

Cum ante quærenda fit persona, quam juris ratio *l. 14. ff. de jure codicill. l. si quæramus. ff. qui test. fac. poss. §. ult. 1. de F. N. & C. Joan. Fichard. conf. 41. n. 1. part. Hering. de Fidej. c. 5. n. 1.* Idcirco operæ pretium est, ut prius de personis, quam de causis, dispiciamus. Delegare possunt iidem, qui & novare, imprimis autem 1. quilibet creditor: si modo liberam rerum suarum administrationem habeat *l. 3. 9. 13. 20. h. 2. Tutor pro pupillo, si ei expediat d. l. 20. 34. §. 1. h. l. 12. de adm. & peric. tut. 3. Procurator omnium bonorum, aut cui id specialiter est concessum. d. l. 20. §. 1. h. l. 4. C. eod. 4. Fidejussor l. 26. §. 2. mand. l. 18. de fidej. & mand. 5. Unus debitorum credendi in alterius præjudicium. l. 31. §. 1. h. t. quæ videtur pugnare cum l. 27. pr. ff. de pact. cujus sententia obtinuit, 6. Is qui dari non potest l. 17. h. idque vel scriptura vel nutu. d. l. 17. l. 52. §. ult. de O. & A. Contra delegare non potest, is qui nec facultatem alienandi habet ut est 1. Pupillus sine tutoris auctoritate l. 20. h. l. 15. 96. pr. de solut. & lib. 2. Furiosus debitor*

rem

rem suam delegare non potest: si tamen delegatus solverit creditori furiosi, quem sanæ mentis esse putabat, exceptionem doli mali habebit de eo, quod in rem furiosi processerit *l. 16. de dol. mal. & met. exc.* 3. Servus si peculiari nomine quid crediderit, delegatione debitorem non liberabit, licet ei rectè solvatur. *l. 19. de solut. & lib.* 4. Filius si paternos debitores delegare velit. *l. 23. b.*

VII.

Objectum (seu subjectum potius) delegationis circa quod præcipue versatur, est regulariter omnis debitor, qualis est 1. Is, qui se exceptione tueri potest, contra delegantem *l. 12, 19. b. t.* 2. Is, qui solvendo non est *l. 22. §. 2. l. 45. §. ult. mand. l. 96. §. 2. de solut. & lib.* 3. Debitor quoque communis delegari potest ab uno correorum credendi *l. 31. §. ult. b. t.* debitor tamen ex obligatione, quæ personæ cohæret, delegatus non liberatur ipso jure à delegante, sed pacti vel doli exceptione; quæ durat etiam post interitum stipulatoris. 4. Is, qui minus deleganti debet, quam delegans stipulanti exemplo *l. 56. §. 7. de V. O.* 5. Debitor non invitus delegari potest *l. 6. C. b.* 6. Non debitor quasi debitor delegari potest *l. 13. b. t.* 7. Item mulier *l. 23. §. 1. C. ad SC. Vell. l. 59. pr. de jure dotium.* Hinc si ea non sit solvendo, creditor superfluum ab antiquo debitore petere potest. 8. Donatum quoque rectè delegatur *l. 33. b.* Econtra delegari haud potest inter conjuges, propter donationis causam *l. 39. de don. int. vir.* 9. Non tantum ii, qui obligati sunt, delegari possunt, sed & eorundem quoque expromissores aut fidejussores *l. 26. §. 2. mand. Briss: d. loc. 10.* Nec debitor invitus delegationem incurrit *l. 1. 6. C. b.* licet inviti nomen vendi possit *d. l. 1. C. b.* Ratio differ: est: Expromissio non fit nisi præsentem debitore & stipulatione cum eo interpositâ. Inde ad perficiendum hoc negotium utriusque consensus requiritur *arg. l. 1. §. 2. de pact. l. 83. pr. de V. O.* In nominis a. venditione præsentia aut consensus debitoris non exigitur, utpotè adversus eum absentem, etiam & ignorantem creditor suas actiones mandare potest *Briss. d. pag. 228.*

VIII.

Circa formam delegationis not. debet ea fieri: 1. Ritè *l. 2. C. b. t. id*

h. t. id est vel voce vel scriptura vel nutu *l. delegantis. l. 17. h. t.* etiam jure novissimo *Gail. 2. obs. 30. num. 9.* Delegatus autem non tantum consentire, verum etiam stipulanti verbis promittere debet. *l. 1. C. h. Sich: ad Rubr. C. h. n. 15. 16. Wesenb: in parat. h. n. 9.* Neque sufficit delegantis voluntas, nisi consentiat creditor, cui vult delegatum, invito enim nihil datur *l. 45. §. pen. mand. l. pen. h. l. 2. 3. C. eod. nec invito aliud pro alio solvitur. l. 11. §. 1. h. vid. hic que in th. 5. dixi. 2.* Per stipulationem *d. l. 11. §. 1. l. 1. 2. C. eod.* Aut verborum obligatione, voluntate novationis interposita *l. 3. C. eod.* 3. Item sub conditione quoque stipulari possum, quod tu debes, sed deficiente conditione delegatio quoque deficit *l. 30. §. ult. de pact. l. 36. de R. C.* Sic 4. quoque stipulari possum: quod ille aut ille debet: item quod tu aut ille. *l. 32. l. ult. §. 2. h. t.* Licet autem cum creditor cui delegatur, à debitoris sui debitore stipuletur periculo delegantis, tum delegans non liberatur *l. 22. §. 2. l. 45. §. ult. mand.* propter novam stipulationem, liberatur tamen delegans, etiam si delegatus solvendo non sit, modo stipulator fidem delegati sit secutus. *dd. ll. l. 96. §. 2. de solut. & liberat. l. 3. fin. C. h. t.*

IX.

le Sed quaeritur ad novandum animus novandi ex valdè verisimilibus & urgentibus conjecturis praesumatur, ut inde opus exceptionis prior obligatio perimatur? Resp: negativè *per d. l. ult. C. de novat.* quia nullum aliàs ista constitutio effectum haberet, & varia incideret quaestio quam contrahentes mentem habuissent, nec non quamnam probabiles vel verisimiles conjecturae essent; Idcirco etiam Justinianus veteris juris emendationem induxit, & ut materiam litium praecideret in universum definivit, non aliter expromissionem seu novationem factam, quam si hoc contrahentes expressis verbis dixerint, se novandi animo, à veteri obligatione recedere, & novam constituere, alioquin pristina manebit & secunda ei accedet *l. ult. C. h. t. d. §. 3. Inst. q. m. t. obl. & sic duæ erunt obligationes Ad: Struv: Ex. 47. th. 57. Goedd. de contr. stip. c. 5. conf. 9. n. 103. ubi refert, quod secundum hanc sententiam responderit Facultas Juridica Marpurg: Giphani, ad d. l. ult. Dn. Carpov. 219. §. 14. Decis. Elect. Saxon. 66.*

X. Sicut

X.

Sicut superius statui, omnem obligationem posse novari, sic etiam expromissorem pro omni obligatione etiam efficaci intervenire posse concludo. Cum a. innumeri authores contrarium teneant, expromissorem proprie definientes eum qui pro illo promittit, & principaliter obligatur, qui ipse efficaciter non est obligatus, ita enim sentiunt Hippolyt. in Rubr. de fidejuss. num. 4. Angel. Ludov. Romann. Imol. & Alex. in l. 5. §. satis acceptio. ff. de verb. obligat. Latè Parisius Consil. 110. num. 14. lib. 1. Carol. Molinæus in rubr. n. 53. & seq. ff. de verb. obl. Oldendorp. in lib. de jure singular. cap. de privileg. fidejuss. n. 10. Anton. Quetta in Consil. 54. num. 8. vers. quoniam expromissor, Novissime Anton. Richarti Vinuesa in Rubr. num. 4. Inst. de fidejuss. Quiquidem omnes post gloss. in Nov. 4. de fidejuss. §. 1. & in l. Strychum. §. aditio, verb. intercesserat. ff. de solut. moventur per l. eleganter. §. servus pactionis. ff. de dolo. l. hoc jure. §. si quis servo. ff. de donat. l. aliquando. ff. ad SC. Vellej. quam opinionem fovet quoque doctiss. Alciat. l. 1. parerg. e. 2. & Gothofred. quoque ad Rubr. ff. de fidejuss. Sed ab hujusmodi opinione merito divortium faciendum est, concludendumque etiam hunc rectè dici expromissorem, qui promittit pro eo, qui erat efficaciter obligatus, pro hac sententia non adfero l. si noxali. §. 1. ff. de pecul. ubi servus Domino suo pro debitore Dominico expromittit, quæ expromissio tantum operatur, ut Dominus id de peculio deducere possit. l. quod servus. ff. de pecul. Non etiam utor l. si rem. §. ult. cum l. seq. ff. de pignor. act. l. 4. de condictio caus. dat. l. quamvis. §. si convenit. ff. ad Vellej. Quæ tamen omnes satis superque commne interpretum placitum everunt: Sed adduco tantum l. 53. ff. de contrab. empt. juncto. §. vendita. Inst. de ver. div. l. profectitia. §. sed si pater. l. cum dotis. ff. de jure dot. in quibus locis clarè probatur, etiam pro efficaci obligatione expromissorem intervenire posse, & num hæc sententia per leges in contrarium adductas labefactetur, videamus. Primo objicitur responsum Ulpiani in d. l. & eleganter. §. 8. servus pactionis. ff. de dol. cujus hæc est species: Servus domino pactionem fecit de libertate hoc est promisit certos nummos, si dominus eum manumitteret (nam pactionem dare ut in l. 3. C. de obseq. par. & pat. prest. est

B

nummos

nummos pro libertate promittere *l. qui nummis. C. de oper. libert. l. 1. C. de bon. libert. suis nummis se redimere. l. 53. ff. de jud. l. 4. & 5. ff. de manumiss.*) Et pro ista pactione domino dedit expromissorem, quem Ictus pactionis istius reum vocat. Verum dedit servus reum *l. Expromissorem* ea conditione, ut post libertatem in eum (*h. e. in se*) transferatur obligatio: sub qua conditione etiam Dominus pretium libertatis ab expromissore est stipulatus. Quia igitur servus post manumissionem demum in se transferri petit obligationem; Ergo, inquit interpretes, antea in ipsius persona non subsistit, & per consequens expromissor intervenit pro non obligato servo. Resp. Rectè quidem illi, quatenus servum de pecunia pro libertate danda cum Domino paciscentem non obligari efficaciter volunt, nam si cum promissa esset pecunia Domino à servo ut eum manumitteret, Dominus eam à servo postea stipulatus non fuerit, habet tantum adversus eum in factum actionem. *l. promissa. C. an serv. pro suo fact.* Sed malè iidem, quatenus inde in genere exstruunt, expromissorem non nisi pro non efficaciter obligatio intervenire posse; hac enim de re verbum ibi nullum. Deinde adferunt interpretes *l. hoc jure. §. si quis servo. ff. de donat. & l. aliquando. ff. ad Vellej.* quas secundum explicatam legem facile solvere possumus, nam iidem ferè casus in iis continentur, quare concludendum, expromissorem pro omni obligatione tam efficaci, quam non, intervenire posse.

XI.

Effectus expromissionis ferè idem est qui novationis simplicis & solutionis; Est enim expromissio pro justa præstatione *l. 51. in fin. ff. de pecul. & solutionis vim obtinet l. 8. §. 3. l. qui libert. §. si cred. ff. de oper. libert.* quod confirmat Seneca *l. 6. de beneficiis c. 5.* ubi ait pecuniam dicimur reddidisse, quamvis non intervenerint nummi, sed delegatione perfecta solutio fit, quâ obligatio semel extincta non reviviscit, *l. 98. §. 8. de sol. nec amplius potest dirigi actio adversus debitorem, qui suum debitorem creditori delegavit, sed adversus expromissorem novatione facta l. 2. C. h. t. Nec quicquam facit quod delegatus postea non appareat solvendo l. 3. §. 1. C. eod.* quia bonum nomen creditor accepisse videtur, qui admittit debitorem

debitorem delegatum *l. 26. §. abesse ff. mand. l. 1. §. 11. ff. de separas. l. 3. de fidej.* Sed quid si delegantis periculo, creditor ab ejus debitore stipulatus nomen fuerit; *ff. Quod tunc pecuniæ, quæ à delegato seruari non potuit, exactio sit salva l. 45. §. pen. ff. mand. Perez. ad Cod. h. t.* non quidem quasi novatione perempta non sit prior obligatio, sed quia hoc reservatum in posteriore stipulatione facit partem, ideoque magis dicendum esse ex posteriore stipulatione, quam manere ex antiqua obligatione, quanquam leges hoc non satis exprimant, flagitat idtamen analogia juris. Parit & hunc effectum ut usurarum cursum sistat, ut pignora solvantur, fidejussores liberentur, modo in sequenti contractu se non obligaverint *l. 4. C. de fidej. l. 18. de novat.* Impeditur & pœnæ commissio *l. creditor. 15. h. t. Zoef. h. t. n. 13.* Denique si eum, qui voluerit mihi donare supra legitimum modum, delegavero creditori meo, non poterit adversus petentem uti exceptione, is, qui delegatus: quoniam creditor suum petit *l. 5. §. 5. de dol. mal. & met. exc.* etiam si non debitor ille sciens delegetur, tamen nulla adversus eum, cui expromisit, exceptione uti potest, neque à delegante quicquam, tanquam donaverit repetere *l. 9. princ. C. de cond. ind. arg. l. 47. ff. de oper. libert. Colleg. Argent. lib. 46. ad h. t.* Item si delegatus exceptione perpetua (veluti doli mali) se tueri poterat, adversus delegantem, hac exceptione se non tueri potest adversus eum cui delegatus est, quia donandi animo exceptionem illam remisisse existimatur. *l. 19. h. t. & 12. eod.* Idemque in cæteris similibus exceptionibus, quæ dantur ejus causa cum quo agitur: uti pacti conventi, rei judicatæ, quod metus causa, juris jurandi *l. 19. ff. h. t.* ubi Paulus in fine aliam subjungit rationem, quod in privatis contractibus & pactioibus creditor secundus non facile scire possit, quid inter eum, qui delegatus est & delegantem actum sit: aut, etiam si sciat, dissimulare debet, ne curiosus videatur. Extenditur id ipsum ad exceptionem quæ ex Scto Macedoniano filiofamilias datur, nam adversus creditorem cui filiofamilias delegatus est ab eo, qui mutuam pecuniam contra SenatusConsultum dederat, non utetur exceptione, quia secundus iste creditor scire non potuit qua ex causa deberet, & quia nihil in ea promissione contra Sctum fit,

B 2

cum

cum secundus creditor filiofamilias pecuniam non credat, sed quam alii credidit à filiofamilias sibi reddi stipuletur. *l. 19. C. h. Zoes. §. 10. ad ff. h. t. item Peretz. ad Cod.*

XII.

Queritur an supra dicta eousque se exserant, ut exceptio mulieri, contra SCtum Vellejanum pro alio intercedenti, non competat? Resp: quod non, nam illa si delegata sit à creditore suo, se sua exceptione tuebitur contra secundum *l. 19. §. diversum.* Etenim apud secundum creditorem videtur intercedere, ideo Senatus ejus incessionem infirmit *l. 8. §. 2. ff. ad SC. Vellej.* Idemque est in minore, qui si circumscriptus promiserit, delegatus se tuebitur exceptione adversus eum cui delegatus, quod sit circumscriptus. *l. 19. §. idemque.* Marito quoque priori id tributum, ut si post solutum matrimonium alii in dotem cuius est debitor delegetur, fit hoc salvo beneficio competentia, seu à muliere eatenus duntaxat, quatenus salva dignitate facere potest. *l. 32. ff. solut. mat.*

XIII.

Enarremus jam differentias quasdam inter expromissorem & fidejussorem sive adpromissorem, certum est enim Ictos discrimen inter hos facere veluti Cajus in *l. ut res 53. ff. de contr. empt.* ut & Ulp. in *l. 9. §. 3. ff. de pign. act.* ubi per reum intelligit ex promissorem *l. 1. §. jubet. ff. de coll. bon.* & Paulus in *l. 37. §. 8. ff. de oper. lib.* unde quoad rem ipsam quoque oportet differre. *l. si idem. C. de Codic.* Differentiam 1. sumemus ex *d. l. 37. §. 8. de oper. lib.* scil. quod liberato principali liberetur quoque fidejussor, ad expromissorem a. id non pertineat, quandoquidem non ut fidejussionis obligatio est accessoria, quæ absque principali non subsistit, ita & expromissoris obligatio accessionis locum obtinet, sed est principalis & per se subsistit, ideoque non aliter tolli potest, quam si ejus nominatim fiat mentio. Unde 2. diff. sequitur, sc. quod fidejussor obligetur cum alio, Expromissor vero solus quasi reus principalis *l. 5. §. 2. ff. de V. O. & gl. in d. l. 37. §. 8. de opt. lib.* Deinde 3. qui fidejussorem dat non liberatur, quia obligationi principali tanquam sequela accedit: Secus est si det expromissorem, ceu id ex *l. 4. de cond. caus. dat.* aliisque juris nostri locis late deducit Hering. *de fidej.*

c. 4. n. 30. & seq. Aliquando tamen expromissor vocatur quasi fidejussor in l. 30. §. 1. ff. de pact. ut supra adstruxi. Quasi i. e. improprie eadem sc: acceptione qua utimur circa quasi contractus & quasi delicta, unde patet veram esse eorum sententiam, qui contra Rebuffum tuentur, quod statuta de fidejussoribus tantum loquentia, non habeant locum in expromissoribus, ita enim jubet stricta statutorum ratio. Add. Ripa in l. 4. §. ait prætor. ff. de re jud. Cum Schneidewino, Gothofredo, Oldendorpio, aliisque addunt alii hanc differentiam; nimirum quod fidejussor etiam accedat obligationi efficaciter subsistenti, Expromissor nunquam. Sed jam supra th. 10. eorum argumenta refutavi contrariamque sententiam defendi.

XIV.

Delineata sic rudi penicillo natura expromissionis juridicæ, liceat nobis quoque eminus intueri magnam illam expromissionem Christianam, qua Mediator noster Jesus Christus debita nostra suscepit, & pro nobis stipulanti ab æterno Patri, expromisit. Quod si obarato, impotenti & pauperi debitori, lætitia oriatur, si expromissor promptus & locuples, in quo acquiescit creditor, eum debito & à nexu liberat, quanto certo major Christianus perfundi lætitia debet, quod ab immenso debito ejusque pœna, ad ineffabile gaudium per sufficientem illam Immanuelis Christi expromissionem translatus sit: quam nos paucis hisce conclusionibus, quia multa hoc exercitium non concedit, sed hoc quoque Expromissore adstante, includimus, 1. Cum lapsum primi parentis, & cum eo totius generis humani prævidisset Deus, velletque in quibusdam misericordiam demonstrare, ut id salva justitia fieri posset, cum nec Adamus nec ejus posteris, naturali serie ex eo proventuri unquam satisfacere possent, Expromissor quaerendus fuit. 2. Ad arduum, omnibusque creaturis impossibile hoc opus se obtulit filius Dei Jesus Christus. 3. Ab eo Æternus Pater ante secula stipulatus est, num Electorum peccata in tempore expianda cæteraque quæ scedus exigit præstanda susciperet. 4. Stipulanti patri moriger filius expiationem & satisfactionem promisit. 5. Qua promissione hæc expromissio fuit perfecta. 6. Mereturque magis expromissio,

quam sponsio dici. 7. Eademque, si quæ differentia inter ἀφεσις
& πάρεσις est facienda, non inconcinne per πάρεσις ad Rom. 3.
vers. 25, fuit indicata, utpote qua tum transmissio à peccatore ad
expromissorem indicari & denotari satis apte potest. 8. Uti quo-
que vox illa frequens in novo fœdere μεσίτης, expromissorem in-
dicare potest. 9. Neque excludit expromissorem ἑγγυος, vel
ἑγγυητής, generaliter Græcis poni solitus, de omnibus qui pro aliis
interveniunt. 10. Hac expromissione perfecta, illi quibus desti-
nata erat, à peccatis liberati fuerunt, & Christus pro iis obliga-
tus, usque ad solutionem peccati expiationem omniumque præ-
stationem. 11. Expromissione illa annunciata & acceptata, etiam
sux liberationis certi potuerunt esse fideles Veteris Testamenti æ-
que ac Christiani in Novo. Quoniam ea expromissionis natura est,
ut priorem tollat ipso jure obligationem, substituatque novam.

COROLLARIA.

I.
JUsjurandum Theologi & Juris Consulti, contra Ana-
baptistas recte tumentur esse licitum.

II.
Privilegia & in odium alicujus dari possunt.

III.
Omnes Magistratus apud Romanos, non tantum Præ-
tores & Aediles edicta fecerunt, quæ juris honorarii
portio fuere.

IV.
Consuetudinem & unus actus & una dies procreare po-
test.

V.
In thesi jus naturale est immutabile, ast in hypothesis sæ-
pe numero mutabile.

VI. Ser-

VI.

Servitutes reducere, non pugnat cum Christiana charitate.

VII.

Patria potestas est juris naturæ.

VIII.

Matrimonium est indissolubile vinculum, extra casum adulterii & malitiôsæ desertionis.

IX.

Matrimonium non est Sacramentum novi fœderis.

X.

Consensus Parentum est de necessitate matrimonii.

XI.

In secundo affinitatis genere nuptiæ aliquando sunt prohibitiæ.

XII.

Legitimatio per subsequens matrimonium an ad feuda proffit; quodlibetice conabimur defendere.

XIII.

Adoptio non est antiquata.

XIV.

Adoptio cur non æque fœminis ac maribus sit concedenda, extra jus Romanum sufficiens ratio dari nequit.

XV.

Tutor emancipato datus, medius est inter testamentarium & dativum, aut potius mixtus tutor.

XVI.

Magistratus ex jurisdictione hodie dat tutorem.

XVII.

Tutor vel Curator hodie non satisdat.

XVIII.

Minus recte Christianus se excusat à tutela, ob inimicitias capitales.

XIX. Tu-

XIX.

Tutor remotus ob latam culpam non fit famosus.

XX.

Princeps ex plenitudine potestatis non potest subditis res suas auferre.

XXI.

An Princeps propter utilitatem vel necessitatem publicam privatis res auferre potest? Aff.

XXII.

Insula in flumine nata tam usu quam proprietate privatorum est.

XXIII.

Quando in alieno solo ex sua materia domum quis aedificat, aedificium Domino soli acquiritur, sed cogitur is pretium materiae & mercedes fabricorum solvere si bona fide aedificaverit, si mala fide, materia proprietatem amittit ut ne directo quidem eam vindicare possit.

XXIV.

Uno eodemque actu quis & repudiare & acquirere hereditatem potest.

XXV.

An substitutus in casum voluntatis censeatur substitutus in casum impotentiae? Neg.

XXVI.

Exhereditatio non tollit jus suitaris.

XXVII.

An is qui dedit chyrographum spe futurae numerationis, post elapsum biennium exceptionem non numerata pecunia opponere possit? Neg.

XXVIII.

An dentur actiones mixtae tam in rem quam in personam? Affirm.

XXIX.

An Mulier ratione dotis praefertur expressam hypothecam habentibus?

Neg:

XXX.

Mulier potest esse testis in codicillis.

XXXI.

Nunquam fuit generalis bonorum communio, & minus recte res quaedam communes vocantur.

F I N I S.

55 (17) 50

GENIO & ARTI

Nobiliss: & Emendatissimi Juvenis

DN. ANTHONII thec Schmitten/
VESALII,

Jurium Cultoris industrii,
Cognati Amicissimi,

*De EXPROMISSIONE, in alma Electorali
Universitate literaria Teutoburgica,
disputaturi.*

Tυπέεις πόσση σὺν ἐγκαύσει, κλυτὲ τέκτων,
Θερσχιμίτην μερόπων αἶμα ἀηροπόρων,
ἔ λίθον ὦ τέκτων τυπέεις φίλε, ἔδὲ σίδηρον,
Ἄλλάγε Ἑρμείαν ἐκ ξύλας ἐκτυπέεις,
Ἡ μάλλον ξύλον ἐξ Ἑρμείας, ἔνεκα Ἑρμῆος
Σὺ, ξύλον αἶψά αὐτὴ σὴ διάλεξις ἔσῃ.
Ἄλλὰ ὅμως μὲν καὺτὸν πρῶτον θ' ἴσαται ὀρθῶς:
Γῆν ἀδιεργάση ἢ ἔποθῆκη ἔην,
Ἄλλὰ ἐπὶ τὴν κλυτὲ τέκτων, ἔξεσται αὐτήν,
Ἄν ξύλον ἦ, μέντοι ὦ φίλε ξεσὸν ἔῃ.
Ταῦτά μοι ἀρκεῖ: ἔ γάρ ἀμετροεπῆ ἀγαπῶμεν
Μεσοπόλον πάντε κύμασιν εἰδόμενον.

ALEX. ARN. PAGENSTECHER,

U. J. D,

C

An



An Denselben.

SO komt's noch auff's papier das dein Gehirn
 Solang beschwängert hielt/mein Freund ther Schmitten?
 Es folge der Ruhm nachdem du hast gestritten/
 Es buhlt der Lorber-zweig mit deiner Stirn.
 Was du hinführo wirst weiters beginnen/
 Das müß' ein glücklich end allzeit gewinnen!

L. HUNDIUS,
 SS. Min. Cand.

O T H E R.

AS thou hast sowed, so shalt thou alwaeyes reap:
 Me Sir ther Smith, that doth well shal well finde:
 Y have heard, thou hast the Helicon bekeep
 With the desir', that thou lang tim's hadst in the mijnde:
 Not sans labour! with time and straw the niedlers ripe,
 Tim' bringeth roses forth; courage Frind, teak', gripe,
 The wisdom and the trueth; and meake that y hear'
 (When y keame again,) and see your good-don near'.

*That hath presentli, and writted presentli,
 not without cause of London*

J. HINSSEN.

*ET bien mon cher amis en vous vojant montè
 Le Parnasse j'esper de vous revoir bientost
 Au sommet; Car voila Justice vous en haut
 Attend au bras ouverts, & la Maistress' apres.*

*L'écriture de ce peu à causè l'amitiè laquelle
 vous porte vostre obligè amis*

J. C. ROULAND.

HOewel mijn af- zyn my in't rijmen mogt beteugelen;
 Soo geeft' in tegendeel aen mijne Rijmlust vleugelen,
 Om U al gluck en heyl te wenschen op die dag,
 Die U met een Dispuut op de Catheeder zag.
 Gluck toe, mijn Vriend, gluck toe. Hier tusschen de Trompetten
 Met Trommen regaleert, hier tusschen de Mousquetten
 En Picquen weefende (*per participium*)
 Word mijne Rijmlust door U Lof- praal lichtlick stom.
 Ick hoop, indien ick weer tot uwent sett mijn voeten,
 Dat ick U Eedle dan als Doctor sal begroeten,
 Daer boven wensch ick U al wat gy self begeert,
 By Menschen en by Godt altoos te zyn ge-eert.

W. J. P A G E N S T E C H E R.

In lode di molto dotto & nobile Signor

A N T H O N I O theer Schmitten.

VOlete voi un rime dal mio ardore?
 Dèh! scusarmi. Il vostro ingegno, Signore,
 Il mio totalmente di stupor ingombra.
 Basta, ch' il lauro i vostri crini adombra.

J. A. de R E C Q U E.

ESt aliquid longos numerare ab origine Patres
 Quos laudum claro firmate fama canit.
 Est aliquid propriis titulis volitare per ora,
 Qua rutilus Clivio climate Phœbus ovat.
 Tu nobis per utrumque volas ter candide Schmitten
 Et trahitur titulis fama paterna tuis.

C 2

Macte

Maeste istis animis! celebres Vesalia quondam
Quos vidit proavos inclyta, Amice refer.

*Commensali suo de felicissimis
conatibus toto animo
gratulatur*

BERN: FORTUNATUS WEDEMHOVEN.

ALL'ISTESSO.

O Bel ingegno ô mente chiara,
Sospirando così 'l nome esaltare.
Che veggiamo voi cominciare
Mi' Antonio? ô anima cara!
Qual pregio? qual honor? qual tanta gloria,
Qual palma haurai di tal vittoria?
Dolce core! che d'una si nobil vaghezza,
Brusci il petto con tanta allegrezza.

A. OLIVIER, Meurs.

E I D E M.

Quid faciam? Sileamne tuæ spectator arenæ
Dum reliqui ad laudes profiluere tuas?
Scribo aliquid, non quo crescant præconia, verum
Ut teneas nostræ pignus amicitia.
Jam tua in æthereis scripsit Fama inclytâ fastis
Nomina quæ nullo sunt moritura die.

*Affectum suum testari
voluit*

A. E. O. de HEESE.

Duisburg, Diss., 1661-99

(1)

ULB Halle

3

004 527 046



Sb

107



JURIDICA
MISSIONE
INO NUMINE
IDE
nec non Consultissimo
RO
n MASTRICHT,
um in Almâ Electorali,
Rhenum, Universi-
e Ordinario,
examini defenden-
ajicit
SCHMIDT
Auct: & Resp:
ris locoque solitis.

265
5



RHENUM,
A S, Academ. Typogr.
LXXXI.